





1725.

1. Waldermott, Dr. Wilhelm: De pactis gener  
binatum.
2. Walpolt, Christoph Trach: De factu mensis horo  
dupliciti, usque occasione de pulmonibus  
a quac inspectorum e et submersione

1726.

1. Fender, Johann Georgius: Rejuriis archivis Imperie  
foris Romanis - Germanicis et Hispanorum ius in  
tribunalium
2. Gundela, Simeon Nurem: De omissione et restitu  
statim actionum
3. Lauterbach, Ludor Ernest: Seisis, qui renunciant.  
nec tamquam iure suo se privant 25 sept. 1726. - 1750.
4. <sup>et</sup> Waldermott, Johann Wilhelm: Re jure impel  
zanthum in rusticis repacterios, homagium  
in primis denegantes. 2 Sept. 1726. - 1750
5. Wlozeny, Stephanus Sigismundus: De validitate in  
instrumento facta fori renuntiatione

1724.

1. Flamm, Johann Daniel : De recusatione judicis suspecti in genere, et in specie de illius ta recusatione superiorum sac. Rom. imperii Instrumentum.
2. Huyden, Math. Alard : De legibus in genere et in specie, de legibus civitatis positivis, prae prius ratione S. T. R. G. statutis
3. Frey, Arnold : De advocate forei quaque officio.
4. Thilen, Joh. Gerhard : De criminis falsi.
5. Wachter, Joh. Christian : De arresto reali.
6. Woepert, Joh. Ernest. : De decimis novatianis.
7. Waeffers, Christianus : Phaenomenon singulare de malo bonis per absque floribus affectiones physices revocationis.

1728

1. Raith, Ignatius : De metatimata occasione lumen  
et. 1. De procuratoribus.

1728.

2. Schell, Mart. Hieron.: Reportatio Statutaria  
Hamburgensis.

1729.

19<sup>o</sup> et Valdekuist H., W. Chelius: De differentiis manus-  
cipiorum Ann. urbium mediterranearum. 2 Sept. 1729  
et 1749.

1730.

19<sup>o</sup> et Adams, Jacobus: De feris diuinis et claram  
effectibus.

2. Willius, Johannes Jacobus: Regiae authoris praedie  
expellendi ejus cunctis tractatrum.

3. Hofmannus, Janus Andreas: De immunitatisibus  
castrensisibus aliiisque libertatisibus principiis  
in Hispania.

4. Tiliemann, Ulrich Schenck, Frk: Historia Augus-  
tanae conseruatis, Carlo V Imperatori et im  
perii statibus Augustae Vindelicorum a. 1538  
die 25 Jun. ollatae, cuius... memoriam evageli-  
hac anno... inter se celebrarent.

1.  
1730

5. Wolfart, Joannes Luricius: De eo, quod in Germania  
justum est, circa Samum personam in aliis locis  
Acquisitum

2. 5

3.

4.

5.

6.

7. 4

.

1721

1. 0

.

z  
om au  
r Ton



*Pri. 18. num. 59. P. M. 54.*

*12.* DISPUTATIO IURIDICA IN AVGURALIS,  
DE JVRE EMTORIS  
PRÆDII, EXPELLENDI  
EJVS CONDVCTO.  
REM,

*P. 219*  
DIVINA ANNVENTE CLEMENTIA  
SVB AVSPICIAS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
**DN. FRIDERICI,**

HASIAE LANDGRAVII, &c. &c.

AVCTORATE ET DECRETO  
MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBVRGensi

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTRQVE JVRE HONORES, AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE OBTINENDI  
EXCELLENTISSIMO RVM ACADEMIÆ PROCERVUM  
EXAMINI PUBLICO  
AD DIEM II. MENSIS Maii ANNO MDCCXXX.

*SUBMITIT*  
**JOHANNES JACOBVS DVILLIVS,**  
FISCALIS ET ADVOC. ORD. WEDANO-RONCALIENSIS.

MARBVRGI CATTORVM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.



DISPUTATIO THEOLOGICA IN VENERABILIS

JURÆ EMINORIS  
PREDICÆ EXPLORANDI  
THAS CONVACTO  
REM.

DIVINA MUNDA ET CLEMENTIA

REGOTORIS MAGNIFICENTISSIMI

DN. FRIIDERICI

HASAE FUNDAMENTA DECRETE

VACATORIATÆ ET DECREE

MAGNIFICÆ REGULARUM ORBIS

IN ULTRASCI ACADAMIA MARBURGENSI

PRO LICENTIA

QUAM IN ULTRASCI ET HONORIBUS AC RIBALTI

DOCTORALIA RITE OBTINENDA

EXCELESTANTIAZ SORORUM DOMINARUM TERRITORI

AD DINI D. FRIDERICI ANNO MDCCXX

DISCUSSIONES HIC CARAS DAPIVIT

RECENSIT ET APUD OG ADVOCOS JURICALIBUS

DISPUTATIONE IN VENERABILI



## PRÆFATIO.



*N* proverbia abierunt due sententiae oppositæ super quæstione, utrum emitoris an conductoris jus potius sit? Alia paroemia Rauff gehet vor Niethen/ cum similibus ejusdem significationis quas vid. ap. Ephraim Gerhard d. Reg. Jur. German. Rauff gehet vor Niethen c. i. §. 6. emtionem conductioni prævalere, alia: Niethen gehet vor Rauff: emtionem conductioni cedere afferit. Prioreum in plerisque locis Germaniae Nostræ tam mores recepti tenuuntur, quam statuta & Iura provincialia de hoc arguento, partim jam ante receptionem juris Romani condita, quæ recenset Gerhard d. l. §. 15. seqq. ex quibus mihi allegasse sufficiat ordinationem provincialem Nassovico Catimelibocensem, quæ & Dynastia Wedano Runcalensis, quæ mihi Patriæ est, utitur, part. 1. cap. 6. §. 15. ut tamen contrarium alicubi obtineat, velut in Urbe Hamburgensi, vid. statut. Hamburg. part. 2. tit. 9. art. 13. in pagis & vitiis Hamburgensis e-

A 2

nim

8012

nim secus est Hamburg. Landrecht Art 60. Beyer ad ff.  
tit. locat. conduct. pos. 30, not. E. ( Jus singulare propter  
utilitatem publicam competens Personis Augustissimi Cameræ  
Imperialis judicij intuitu ædium à civibus Wetzlariensibus ad  
Inhabitationem personarum Cameralium ante Receptionem  
Cameræ oblatorum, que vulgo die Lisenhäuser appellantur  
& conductori Camerali invito ad eum effectum ut emtori  
conductorum Cameralium expellere liceat vendi nequeunt, pri-  
usquam hic Conductori camerati alias eque idoneas ædes pre-  
stiterit vid. ap. Illustr. Dn. Affer. de Ludolfi in historia su-  
stent. Camer. p.m. 97. & 697.) Posterior fortè apud Belgas com-  
muniior est, ut tamen & priori quædam eorum statuta inhæ-  
reant. Vinn. Comment. ad s. ult. I. eod. in fine: Hert. d. Pa-  
roemia Jur. German. l. 1, paroem. 46. §. 1. de iuris que  
pervacaneum est disputare, quies casus emergit in loco ubi  
alterutrum vel speciali sanctione vim legis ibi obtinente statu-  
tum, vel indubitate moribus introductum est, cum dubi-  
um non sit, quin jus commune qualecumque demum fuerit. &  
speciali constitutioni cedere debeat, l. 80. ff. de Reg. Jur. &  
in veterate causuetudini l. 32 ff. in fine de leg. ubi vero de  
neutra constat, lis eo nomine emergens non aliquæ acciden-  
da est, quam ex jure communi, de cuius dispositione quoad  
hanc questionem controvertitur. Quare cum mihi specimen  
inaugurale scribendum esset, hoc argumentum, utpote Pra-  
dicum elegi, ejus elaborationi Deus ter optimus maximus,  
fons omnis veritatis, benedicat.

## CONTENTA.

§. I. Status controversæ. §. II. Dissensus Doctorum §. III.  
Sententia Authoris jus expellendi conductorem emtori affe-  
rens

rens. §. IV. & V. *Probationes pro emtore cum responsionibus ad obmota.* 1.) rei vindicatio ab exceptione obligationis personalis libera, §. VI. & VII. 2.) regula tradita in l. 9. C. d. loc. & cond. §. IX. & IX. 3.) Jus expellendi legatario concessum, §. X. & XI. 4.) par potestas usufructuarii, §. XII. & XII. 5. privilegium fisci, quem emtor servando locationem ab actione conducti liberare debet, §. XIV. 6.) Obligatio venditoris ad indemnitatem conductori expulso praestandam, §. XV. 7.) libertas excedendi prædio conductori competens, §. XVI. 8.) simplicitas Juris expellendi, quo lites plurimæ ac difficiles amputantur. §. XVII. *Argumenta alia consentientium,* §. XIII. quæ minus solida esse ostenditur. §. XI. *Argumenta dissentientiam cum responsionibus.* 1.) restrictum jus venditoris, ad plus quam ipse habuit, transferendum inhabilis, §. XX. 2.) venditio inter alios acta, ideoque conductori non præjudicans, §. XXI. 3.) impossibilitas prædium vacuum tradendi invito conductori, §. XXII. 4.) jus conductoris non admittiendi emtorem ex justâ & probabili causâ. §. XXIII. 5.) interdictum conductori adversus emtorem de jicientem competens, §. XXIV. 6.) æquitas tuendi conductorem in jure quaæsto. §. XXV. *Conclusio.*

## §. I.

**A**cturus de jure emtoris prædiæ, expellendi ejus conductorem non perdam operam in explicandis vocabulis rubri perse clari, modo duo notentur, 1.) expulsionem intelligi non violentam, qua quis sibi ipsi & Judex & adversus invitum executor est, sed legitimam, qua emtor evacuationem prædii emti, à conductore licet in condu-

A 3

cl.

Etione manere præoptante , absque violentia consequitur ,  
 vel renitentem mediante judicis auctoritate exmittit t.t.C.  
 ne quis in sua cauf. jud . 2) hic agi de conductore fruendi ,  
 qui pensionem solvit , ut ipse utatur prædio & fructus lu-  
 cretur , non de conductore faciendi , qui accepta mercede  
 fundum colit , ut dominus ex cultura sentiat emolumentum ,  
 atque adeo propriè operas suas locat . add . l. ult . ff . d. jure  
 f/c. ne tamen quid dubii quoad verum eonroversiæ statum  
 relinquam , tria supponi indico , primum emtorem prædi emti  
 dominium consecutum , secundo locationem non ab ipso ,  
 sed ejus Antecessore factam , & tertio prædium conductori  
 ad usum re ipsa fuisse concessum . Quodsi enim ematio ven-  
 ditio consensu tantum contrahentium perfecta sed domini-  
 um prædii venditi in emtorem nondum translatum fuerit ,  
 manifestum est , totum negotium adhuc intra meros termi-  
 nos contractus consensualis consistere , ex quo emtor jus va-  
 lidum quidem adversus venditorem ejusque heredes acqui-  
 sivit , sed merè personale , quo nemo tertius obligatur , l. i. §.  
 16. ff. ad Sct. Trebell. l. 3. C. ne ux. pro mar. & ex quo conse-  
 quenter adversus conductorem nulla actio competit . l. 3. C.  
 de oblig. & aet. Pariter quoties ipse emtor prædium loca-  
 vit , sive post sive ante emtionem , veluti cum ipse illud à  
 venditore ab initio conduxisset ac tertio sublocasset , tene-  
 tur fidem à se ipso datam servare , nec magis à contractu lo-  
 cationis à se ipso de re aliena initio recedere potest , quama-  
 revocare posset à se factam venditionem rei alienæ , cuius  
 dominium postea demum ex quacunque causa fuisse adeptus . l. 17. ff. d. evit. t. t. ff. d. except. rei vend. & trad. vi-  
 cissem licet locatio conductio pleno utriusque contrahenti-  
 um consensu inita fuerit , si tamen postea prædium in no-  
 rum emtorem fuerit translatum , antequam conductor illud-  
 uten-

utendum acceperit, nemo dubitat, quin iste non nisi actio  
nem personalem adversus locatorem ejusque heredes fuerit  
consecutus, adeoque emtorem tanquam tertium, ad usum  
pradii à venditore promissum nec adhuc inchoatum, con-  
cedendum planè non habeat obstrictum. Harum itaque  
specierum liquida est decisio, in qua consentiunt omnes, qui  
de hac controversia tractant, atque adeo illud tantum inda-  
gandum restat: Utrum emtor prædiū, cuius dominium legi-  
time est adeptus, prioris domini conductorē in ejus usū con-  
stitutum, ante finitum tempus conductoris absque violentia  
privata expellere posse, nec ne?

§. II. Jus hoc emtori competere, præteritis seculis  
tanto consensu creditum fuit, ut sibi neminem dissentien-  
tem obvenisse testatus fuerit vir summæ eruditionis Her-  
mannus Zollius, Professor juris primarius Rintheliensis, qui  
primus emtorem ad servandam locationem à venditore fa-  
ctam obstringi tradidit, edita anno 1687. *Dissertatione ad l.*  
*g. C. d. locat. & cond. communem ejusdem legis interpretatione-*  
*nem unde enatum illud vulgare: Kauff gehet vor Nies-*  
*the refellente, quod & faslus est Otto Philippus Zaunschli-  
ferus, Professor Marburgensis itidem celeberrimus, qui illi*  
*vindicias secundum communem interpretationem legis g. C.*  
*d. loc. & cond. opposuit, quas ille defensione novæ sententiae;*  
*Kauff hebt Nuethe nicht auf / confutare, hic vindici-  
cias vindicarum Anno 1691. editis tueri annis est. Uter-*  
*que pro sua sententia doctissime pugnavit & in ea perficit;*  
*nisi quod celeberrimus Zollius tandem in defensione §. 6. ipse*  
*concesserit, justius rem relinquem emtori, qui perpetuum jus*  
*sibi acquisivit, quam conductori, qui ad tempus conduxit,*  
*quoties emtor vel vendor statim interesse offert, eique sa-*  
*tisfacit. Ab eo tempore dissensus inter Doctores de usu rei*  
prius

prius locatæ, postea venditæ mansit, aliiis emtorem, aliis conductorem ita præferentibus, ut plures quidem veteris sententia inkäserint, sed tamen in novam aliqui etiam magni nomininis ICti transiverint, ex quibus nominasse sufficiat  
**Georg Beyer ad ff. tit. locat. cond. post. 30. not. d.**

**S. III.** Milu deposito omni partium studio solam veritatem, sive priscajam seculis cognitam, sive recentiore demum ayo detectam sectanti, ponderatis utriusque opinionis argumentis, & rationi juris nostri & textibus expressis convenientius videtur, emtori prædii jus expellendi conductorem asserere. Quod ut brevissimis ordine expediam, primum fundamenta, quibus hoc jus defenditur; adducam, simulque adversus objectiones quibus dissentientes eadem subrure conantur, tuebor, secundò rationes, quibus contraria sententia color queritur, referam, easque confutare studebo.

**S. IV.** Sermo est, ut ab initio monui, de emtore, prædii, à venditore locati Domino facto. Habet hic sine dubio rei vindicationem adversus quemcunque illius sive possessorem sive detentorem qui adeo inde, volente Domino, dedere ac prædium liberæ ipsius dispositioni vacuum relinqueret tenetur. **S. 2. I. d. Offic. Jud.** nisi vel actorem ad usum ejus sibi concedendum personaliter habeat obligatum, quemadmodum ex. gr. commodans rem commodatam ante finitum usum vel tempus conveniunt à commodatario ayo care nequit, **I. 3 C. d. loc. cond.** ideoque ab eo justa exceptione repellitur, si rei vindicatione intempestivè, adeoque injustè velit abuti, **I. 15 C. cod. junct. I. 156. §. 1. ff. d. Reg.** Jur. vel rem jure aliquo in re teneat, veluti usufructuarius vel creditor hypothecarius, qui, quando durat ususfructus vel pignoris vinculum, possessionem rei usufructuarie vel pignori data recte tinentur adversus quemcunque etiam novum ejus Domi-

Dominum, eumque rem vindicare volentem exceptione  
submovent. arg. dict. l. 156. §. 1. At conductori, de quo  
quaritur, neutrum jus competit, quamvis enim vendito-  
rem, cum quo contraxit, habeat obstrictum, seque adver-  
sus eum defendere possit, hoc tamen jus ex obligatione me-  
rè personali oritur, adeoque valet quidem contra locatorem  
ejusque heredes, non tamen adversus successorem singula-  
rem, qualis est emtor, quocum ipse non contraxit l. 3. C. ne  
ux. pro marit. Neque ex eo contractu ullum jus in re adeptus  
est conductor, qui licet predium utendum acceperit, illud-  
que eo fine teneat, sibi tamen non modo nullam ex iis spe-  
ciebus in re, de quibus Doctores consentiunt, afferere pot-  
est, sed nequidem possessor est, verum merus detentur, l. 25.  
§. 1. l. 30. §. 6. l. 37. ff. d. acquir. vel amitt. posseff. adeo ut ne-  
quidem interdicto possessionem tueri, l. 1. §. 1. ff. uti possid.  
aut à violento etiam dejectore, utut odiosissimo, recuperare  
queat; l. 1. §. 10. & 22. l. ult. ff. de Vi & Vi. arm. nisi eo non  
suo nomine, sed absentis Domini, cuius vice tantum in possi-  
tione est, utatur. l. 1. C. si per vim vel al. mod. absent. turb.  
sit posseff. Itaque ex ipsa natura Domini, quo gaudet em-  
tor, & juris merè personalis, quod conductori tantum ad-  
versus eum cum quo contraxit, non tertium, qualis est em-  
tor, competit, sponte sequitur, conductorem non obstanti-  
bus iis, quæ inter ipsum & venditorem converta fuerunt,  
jure ab emtore posse expelli.

§. V. Qui pro conductore militant, eidem exceptio-  
nem adversus emtorem largiuntur, eò quod 1) exceptiones  
ex pacto aut contractu resultantes reales sint, l. 7. §. 1. ff. d.  
Except. junct. l. 9. ff. d. probat. exceptio vero rei cohærens  
etiam emtori obstat, a. l. 4. §. 27. ff. d. dol. mal. & met. except.  
l. 175. §. 1. ff. d. R. J. 2) exceptio etiam illi competit, qui

B

actione

actione deſtituitur, docentibus exemplis §. 30. 32. 33. & 34.  
 J. d. Rer. div. 3) generaliter, ubiunque ſubeft naturalis æ-  
 quitas, exceptio dolii locum habeat, l. 12. ff. d. dol. mal. &  
 met. exc. & 4) in ſpecie eadem exceptione dilatoria cauſe  
 (qualem tribuant conductori non ad perimendam rei vin-  
 dicationem, ſed tantum ſuſpendendam, donec finitum fue-  
 rit tempus conductionis) ſubmoveri emtorem, quā vendito-  
 rem, conſtet ex l. 14 §. 3. ff. commun. divid. & l. 16. §. 1. pro  
 ſoc. Verum 1) intricate eft doctrina de exceptionibus rea-  
 libus etiam ſucceſſori obſtantibus, eodem Ulpiano, qui eam  
 l. 143. ff. d. R. J. tradiſit, plane contrarium docente l. 156.  
 §. 2. ff. eod. ubi ait: cum quis in alii locum ſucceſſerit, non eſt  
 æquum, ei nocere, hoc, quod adverſari eum nocuit, in cuius  
 locum ſucceſſit, quo prämiſſo §. 2. ſubjugit: plerumque (non  
 universaliter) emtoris eadem cauſa eſſe dicit circa petendum  
 ac defendendum, que fuit autoriſis. Itaque ſufficere vide-  
 tur, ſi regeratur, rēgulam generalem adeo dubiam & obſcu-  
 ram non valere ad denegandum ius emtori ex analogia ju-  
 ris ac tot legibus ſpecialibus liquido competens. Sed p̄a-  
 flat nodum hunc diſtinctius diſſolveſe. Alia eft diſiſio a-  
 ctionum in personales & reales, §. 2. J. d. action. alia exce-  
 ptionum. Ex his illæ tantum personales appellantur, quæ  
 perſonam primi debitoris non egrediuntur, nec hereditibus  
 ac fideiūſſoribus, aliisque, quorum intereſt, proſunt, ceteræ  
 reales vel rei coherere dicuntur. l. 7. pr. & §. 1. ff. d. except. ſunt,  
 que adeo iterum duplicitis generis: alia ex Jure in re, reo in  
 ipla ſpecie, quæ objectum litis conſtituit, competentē de-  
 ſcendunt ac ſpeciem iplam afficiunt; alia tantum ex Jure ad  
 rem oriuntur adeoque licet primi debitoris perſonam ege-  
 diantur, iplique rei, id eſt cauſa & obligationi universa per-  
 ſonalis, etiam fideiūſſores, heredes aliosve ſuccesſores obſtrin-  
 genti,

genti, cohærent, in ipsa tamen specie, sive re corporali, de  
 qua litigatur, non radicantur. His prænotatis tres constitu-  
 endæ sunt regulæ: I. prioris generis exceptiones reales etiam  
 emtori nocent; II. posteriores non nocent, si ex suo tan-  
 tum dominio agat; III. nocent tamen, quoties se præter  
 jus in re in se translatum etiam in alio fundat, quod ipsi non  
 qua novo domino competit, sed qua auctoris successori, ut  
 ex ipso Ulpiano disceimus, qui in ipsa d. l. 4. §. 27. ex qua  
 contrarium elicere conantur dissentientes, distinguit inter  
 emtorem ex suâ tantum personâ agentem, & ex personâ au-  
 toris accessione uti cupientem, eique illo casu, quo suum  
 tantum dominium & quæ illius vice fuerat, bona fidei pos-  
 sessionem allegat, exceptionem de dolo auctoris non obstat  
 docet, sed tum demum cùm accessione temporis præceden-  
 tis uti, seque adeo non in suaipius solum, sed & in auctoris  
 possessione fundare vult. Atque sic distinctè intelligitur,  
 quod idem Ulpianus dicit. l. 156. §. 3. ff. de reg. Jur. obscurè  
 tradit, plerumque candem etiam circa defendantum esse  
 causam emtoris & auctoris. Patitur uterque easdem exce-  
 ptiones non modo ex jure in re fluentes, veluti si rem vindic-  
 care cupiat ab usufruitorio, usuario, habitatore, emphy-  
 teuta, superficiario, creditore hypothecario l. 25. pr. ff. d.  
 Oblig. & aet. junct. l. 1. §. 4 ff. de superficie. l. 156. §. 1. ff. d.  
 reg. Jur. sed etiam ex jure ad rem ortas, quoties emtor si-  
 mul successit in jus ad rem, quod venditor habuit, etiam  
 adversus conductorem, veluti si eum ex jure cesso actione  
 locati conveniat, arg. l. 5. C. d. hered. vel aet. vend. vel  
 pacto receperit, ut eadem conditione conductor maneret;  
 l. 9. C. d. locat. junct. l. 2. §. 5. ff. d. dol. mal. & met. ex-  
 cept. sed non patitur emtor posteriores, quoties tantum ut  
 novus Dominus agit, nec auctori in jus personale successit,

quod fundum ejusque possessorem non sequitur: l. 7. §. 16.  
*ff. ad SCt. Trebell. l. ult. §. 1. ff. d. contr. Em. l. 15. C. d. do-*  
*nat.* adeoque exceptio, qua obstat venditori, etiam emto-  
*rem plerunque, sed non semper, ne hoc casu repellit. Plu-*  
*ra vid. infra §. 19.* 2) concedo non nunquam exceptionem  
*etiam illi, qui jus agendi non habet, dari suadente æquita-*  
*te, quâ illis quandoque consultum fuit, pro quibus nulla*  
*planè actio prodata erat, ut potissimum in pactis nudis elu-*  
*cescit, l. 7. pr. & §. 4. ff. d. pæz. nego vero exceptionem ex*  
*contractu nasci adversus illum, qui actione ex eo descendente*  
*conveniri nequit. arg. ditz. l. 7. pr. jnnct. §. 1. &c. 2.*  
*Quia ex §. 30. 32. & seqq. l. d. rer. divisi. allegantur exempla*  
*de impensis in rem factis agunt, qua rem ipsam afficiunt.*  
*Arg. l. 46 ff. d. obl. & ait. producuntque jus retentionis,*  
*quod est instar juris in re, cœu patet arg. l. 13. §. 8. ff. d. ait.*  
*emt.* 3) durum quidem est, conductori usum prædii con-  
*ducti ante finitum tempus conventum auferri, sed æquè*  
*durum, eodem privari Dominum, ut eô fruatur tertius,*  
*cui ille nullo nomine obstrictus est.* In pari ergo causa, cum  
*non possit non hoc incommodum ab alterutro ferri aquius*  
*est Domino permitti ulum rei propriæ, quam conductori*  
*aliena maximè cum hujus indemnitatí aliunde sit prospe-  
*ctum, incolumi actione conducti, quâ à venditore conse-  
*qui potest, quanti ejus interest. l. 9. C. d. locat. add. infra***

*§. 4. 4) in leg. 14. §. 3. ff. Comm. divid. & l. 16. §. 1. ff. pro*  
*soc. agitur de actione communii dividendo, qua simul com-  
*prehendit obligationes ex pactis communionem determinan-  
*tibus, §. 20. J. d. Ait. ut quæ ipsam rem communem tan-  
*quam qualitates condominii internæ ita afficiunt, ut nemo****

*fociorum suam portionem vendere posset, nisi emtor quo-*

*que in illas obligationes succederet, clare hoc docente ipsa*

*ditz.*

*diſ. l. 16. §. 1.* neque adeo mirandum, amplius patere potestatem novi Domini rei vindicatione agentis adversus conductorem merum jus ad rem habentem, quam novi socii actionem communis dividendo instituentis adversus coadominum, jure non modo aequa fortis gaudentem, sed & fortiori, quoties rem in pristimo statu servare cupit, quia altero innovare cupiente melior est conditio prohibentis l. 28.  
*ff. communis. divid. c. 56. d. reg. Jur. in 6to.*

§. VI. Emtorem porro tueretur l. 9. C. d. locat. & conduct. ubi. verbis clarissimis Alexander Imperator rescribit, *Emtorem fundi necesse non esseflare colono, cui prior dominus locavit.* Quo ipso in terminis, ut dicitur, jus hoc expellendi emtori tribuitur, modo emtio venditio non solum conjuncto utrinque consensu fuerit perfecta (inde enim nullum adhuc jus adversus conductorem emtori competere ab initio indicavi) sed & translato in eum prædii Dominio consummata: quod indicate verba *prior Dominus*, quo nomine vendor insigniri non potest, quamdiu negotium intra meros terminos consensus utrinque interpositi subsistit, cum Dominium rei vendita etiam post contractum ab utroque initum apud venditorem maneat § 3. *J. de Emt.*

§. VII. Student equidem dissentientes vim hujus argumenti enervare; dum istud rescriptum ad conductorum restringunt, qui ante Dominium in emtorem translatum, prædium nondum utendum accepit. Sed eam restrictionem potius textui contra juris rationem inferunt, quam ex eo deducunt. Sanè enim ipsis verbis modo explicatis dicta regula ratione conductoris non modo non limitatur, verum etiam ampliatur, ut indistinctè valitura, sive ab ipso venditore prædium conduixerit, sive ab alio quocunque priori domino, à quo vendor emerat, forte ea lege, ut simul in

contractum cum colono vel inquilino initum succederet.add.  
*l. 25. §. 1. ff. locat.* convenit igitur indoli justæ interpretationis, de colono generaliter posita generaliter intelligi, arg.  
*l. 8. ff. d. Public. in rem. abz.* maximè cum hoc ipse Imperator satis manifestè innuat, subjecta exceptione, qua confirmatur regula in casibus non exceptis. Pergit enim: *nisi ea lege emit.* Verum si probetur, aliquo pacto consensisse, ut in eadem conditione *MANEAT.* quamvis sine scripto, bonæ fidei iudicio ei, quod placuit, parere cogetur. Unde consequitur deficiente pactione emtorem non magis teneri, ut conductorem in re conducta manere, quam ut usum prædii nondum acceptum arripere permittat, adeoque colonum aque ex conductione jam inchoatâ expellere, quam ad inchoandam non ad mittere posse.

**§. VIII.** Porro pro emtore militat jus legatarii, quem locatione à testatore factâ non teneri Ulpianis *l. 120. §. 2. ff. d. legat.* 1. innuit, cum fructus ex fundo parè legato post aditum hereditatem a legatorio perceptos ad ipsum pertinere, colonum autem cum herede ex conducto habere actionem respondet. Si contractus inter testatorem & conductorem initus legatarium, quamvis ad nullam præstationem acti-  
 vam locatione conductione comprehensam, tamen ad nudam patientiam usus prædii locati obstringeret, non posset sanè ullo jure fructus afferre ex prædio rustico, cuius usus naturalis, propter quem colonus illud conduxit & pro eo mercedem promisit, non alias est, quam perceptio fructuum. Alias valde nociva foret colono humanitas auctorum novæ sententiaz, qui durum & iniquum putant mutatione Dominii ipsi præjudicari, si ad hoc tantum pro continuati-  
 one conductionis pugnarent, quo misero colono serere lice-  
 ret, quod peracto labore impensisque erogatis novo Domi-  
 no

no metendum relinqueret. Sequitur ergo, jus ex contrac-  
tu quasitum colono tantum actionem conducti adversus  
lacatoris heredem tribuere, adversus legatarum vero nequidem  
ad usum prædii continuandum prodesse quoniam hic  
ejus Dominus factus, nec simul locator est, adeoque præ-  
diuum vindicare, nec exceptione conventionis cum alio initia,  
seque non obstringentis repelli potest. Par vero est condi-  
tio emtoris, qui cum non modo æque habeat dominium,  
cujus exercitium nulla obligatione personali restrictum est,  
sed illud etiam dato pretio titulo oneroso acquisiverit, non  
potest minus juris habere, quam legatarius, ad quem præ-  
diuum ex causa lucrativa pervenit. Add. l. 41. §. 2. ff. d. reg.  
jur.

I. IX. Respondere conantur dissentientes, Ulpianum aut  
de locatione ab herede demum post mortem testatoris facta  
loqui, aut saltem de fructibus absque consensu quidem co-  
loni, sed tamen sine vi ablati, adeoque non tam juris, quod  
in prædio habuit, & porro exercere cupit, durationem ad-  
versus emtorem negare, quam indicare defectum actionis,  
ut potè, quæ pro colono, adversus novum dominum tantum  
exceptionem habente non sit prodita, quia neque ex conduc-  
to agere possit adversus legatarium, cum quo non contrar-  
xit, h. ult. §. 1. ff. d. contr. ent. neque furti aut condicione  
furtiva, quod is auferendo fructus rem sibi propriam subdu-  
xerit, Paul. receptar. sentent. l. 2. tit. 31. §. 18 neque rei vindic-  
atione ex eadem ratione; deficiente scilicet perceptione  
coloni, per quam demum dominus fiat fructuum, qui eo us-  
que in ejus sunt dominio, cuius est finitus. §. 36. §. d. rer.  
divis. Verum de contractu ab ipso herede post mortem tes-  
tatoris ini to non loqui Jctum satis inde patet, quod ipse  
fructus po st aditam hereditatem à legatario perceptos ab his

distin-

distinguat, qui jam antea percepti fuerunt eo tempore, quo locatio non potuit nisi ab ipso defuncto facta esse: quā si legatarius ad usum prædii colono relinquendum obstringeretur, posset certe colonus fructus sibi à novo domino contra jus fasque præreptos ab eodem repetere, si non actione aliqua ordinaria, de quo superfluum videtur cum dissentientibus disputare, tamen subsidiariā l. 23. ff. d. reb. cred. qua condicitor, quod ad aliquem non ex justa causa pervenit; l. 1. §. 3. ff. d. condic. sine causa (quo casus noster, positā sententiā adversā, pertineret, cum dominium non præberet iustam causam intervertendi colono utilitatem, ad quam ipsi relinquendam novus dominus obligaretur) vel actione in factum legis Aquiliae, qua juvantur, quibus abque lesionē corporis damnum datum est. §. fin. J. d. leg. Aquil. licet rei circa quam damnum perpersi fuerant, domini non sint. l. 13. pr. ff. cod. l. 2. ff. Si quadrup. pauper. fec. dic. Ceterum quo ad præsentem de regula controversiam perinde est sive heres locatoris, cui dato coherede fundus prælegatus est, ad totum contractum defuncti obligatus censeatur, quemadmodum D. Zollio visum fuit; sive ei quoque quā legatario jusexpellendi conductorem ita tribuatur, ut vicissim quā locatoris heres ad interesse colono præstandum pro parte hereditaria obstringatur, quod D. Zaunschliffro placuit. Mihi tamen, ut hoc obiter addam, prius juri convenientius videtur, quia obligatio coneedendi usum prædii individua est, atque ipse solus facultatem habet, illum integrum præstandi: quo casu cessat lex duodecim tabularum, qua nomina hereditaria inter plures coheredes ipso jure dividuntur; l. 25. §. 13. ff. l. 6. C. fam. herc. ut quā ad debita quantitatū pertinet, non actiones reales, l. 2. C. fin. unus ex plurib. nec obligationes quascunque individuas, quibus in solidum obligatur, quisquis

quisquis eas integras explere, potest, l. 6. §. 1. ff. d. edend. l. 3.  
§. 3. commod. l. 65. ff. de evit. coheredum portiones familiae  
herciscundæ judicio ab ipsis reperiturus, diff. l. 25. §. 10. &  
12. ff. fam. herc. l. 2. §. 2. & 5. ff. d. verb. oblig.

§. X. Jus emtoris expellendi conductorem venditoris am-  
plius confirmat par potestas usufructuario concessa à Paulo,  
qui l. 59. §. 1. ff. de usfr. respondit: *Quicquid in fundo na-  
scitur, vel quicquid inde percipitur, ad fructuarium per-  
tinet; pensiones quoque jam ante locatorum agrorum si ipsæ  
quoque /specialiter comprehensa sint. Sed ad exemplum ven-  
ditionis, nisi fuerint excepta, potest usfructuarium conducto-  
rem repellere.* Distinguitur hic inter usumfructum simpli-  
citer & ea lege constitutum, ut servaretur locatio jam ante  
facta. Posteriore casu Usufructarius contractui stare jube-  
tur, ut tamen ipse pensiones percipiat, saltem quoties eas  
non exceptit, qui usumfructum constituit. Priore casu usu-  
fructarius conductori planè non obligatur, sed ipsum pot-  
est repellere, idque ad exemplum venditionis. Manifestum  
est igitur, Paulum emtori jus expellendi & directò tribuere  
& per consequentiā. Emtor enim, postquam rei emtæ  
dominus factus est, non modo ejus usumfructum habet,  
quem causalem vocant l. 4. ff. d. usfr. l. 126. §. 1. ff. d. Verb.  
obl. sed totum dominium, quod longè adhuc pinguis est:  
adeoque non potest non ipsi tantundem licere, quantum  
Usufructuario.

§. XI. Hoc telum ut evitent dissentientes, duplēm  
restrictionem comminiscuntur. Modo enim jus expellendi,  
quod Paulus fructuario tribuit, ad casum singularem refe-  
runt, quæ conductor moram in solvendis pensionibus contra-  
hit; modo eum de ea tantum locatione conductione, quæ  
ante constitutum usumfructum coulsensu quidem contracta,

C

sed

sed nondum in effectum deducta fuit, intelligendum volunt,  
 quod ipse JCtus indicet, cum de conductore non expellen-  
 do sed repellendo loquatur, quod propriè de eo dicatur, qui  
 possessionem occupare intendit. At prior explicatio ma-  
 nifestè contrariatur menti Pauli, qui verbulum de mercede  
 non soluta (quæ mora nec solveret obligationem, nisi bi-  
 enio continuaata l. 54. §. 1. l. 56. ff. loc. l. 3. C. eod.) non di-  
 cit, sed jus recedendi à contractu domini, usufructuario sim.  
 pliciter tribuit, exceptis duobus casibus, si vel specialiter id  
 actum, ut fructarius pensiones loco fructuum perciperet,  
 vel dominus easdem ab usufructu excepit, sibique vel alii  
 reservaverit. Neque etiam conveniens fuisset, ad exemplum  
 venditionis provocare, nisi JCtus fructuario potestatem vo-  
 luissest afferere, quam emtor quidem habet, sed non ipse lo-  
 cator. Non magis fundata est posterior interpretatio: Te-  
 xtus enim de pensionibus agrorum jam antea locatorum lo-  
 quitur, quod æque convenit prædio, quo jam fruitur con-  
 ductor, quam alii, cuius usum demum ex contractu inchoare  
 cupit, qui casus etiam eo tempore, quo ususfructus consti-  
 tuitur, rarius contingit quam prior, qui si excipiendus esset  
 à doctrina Pauli, sequeretur, pensiones residuorum annorum  
 à colono, qui fundum ante constitutionem ususfructus uten-  
 dum accepit, solvendas ad fructuarium non pertinere, quod  
 tam menti JCti quam juri palam repugnat l. 7. §. 1. ff. d.  
 usuf. leve est, quod objicitur, tantum repellendi jus fructua-  
 rio tribui, non expellendi colonum: nam uterque repellitur,  
 & qui non admittitur & qui excedere cogitur, quemadmo-  
 dum tam qui in fundum venit, quam qui illuc est, prohiberi  
 dicitur l. 10. §. 4. ff. d. usuf. & habit. denique non de ædibus  
 locatis sermo est, sed de agris, quibus incumbere neque so-  
 let colonus neque potest, adeoque commodo conductionis  
 æque

aque privabitur, sive eum fructuarius illos ingredi impedit,  
sive ingressum inde deturbet.

§. XII. Idem liquido probatur ex l. ult. ff. d. Jur. fisc. ubi  
quaritur, cui cedere debeant fructus ex prædio ab Impera-  
toris procuratore licitatori primù in diem addicto, postea  
recepta licitatione tradito, tempore intermedio percepiti,  
Aliis eos fisci, aliis emtoris esse volentibus, *Papinianus &*  
*Messius* novam sententiam induxerunt quia sub colono erant  
prædia, iniquum esse fructua ei auferri universos: sed colo-  
num quidem percipere eos debere, emtorem vero pensionem  
ejus anni accepturum, ne fiscus colono teneretur, quod ei frui  
non licisset, atque si hos ipsum in emendo convenisset. Ma-  
nifestum est, datum fuisse privilegio fisci, qui statim securus  
reddi debet, ut emtor non nisi pensiones perciperet, colonus  
vero fructus, idque ideo, ne fiscus damnum sentiret, quia  
alias colono actionem conducti instituent ad indemnita-  
tem præstandam obligaretur: quod adeo tanquam exceptio  
favore singulari venditoris nixa confirmat regulam in casibus  
non exceptis. Accedit, quod ex privilegio fisci ejus emtor  
locationem antea contractam servare jubeatur, *qua si hoc*  
*ipsum in emendo convenisset*: quod quid aliud est, quam  
fictio pacti inter emtorem & fiscum venditorem initi in hu-  
jus favorem excogitata? qua non modo superflua fuisset,  
si post quamlibet ventionem prædi locati absque speciali  
conventione emtor ipso jure obligaretur ad patiendum usum  
prædi conductori concessum, sed & inconcinna: cum fi-  
ctiones juris non ideo inventa sint, ut per eas stabiliretur,  
quod recta via juris dispositioni & enalogiae congruit, sed ut  
contrario ejus, quod in facto adest vel abest, assumto posset  
concludi, quod re secundum nudam veritatem inspecta aliter  
foret decidendum. Add. l. s. ff. d. castrensi. pecul.

C 2

§. XIII.

§. XIII. Dissidentes excipiunt, colonum in hac lege  
 sine dubio ob potentiam venditoris fisci, cui resistere non  
 audebat nec poterat, invitum quamvis de possessione de-  
 cessisse, & in eam vacuam admisisse emtorem, cui alias fun-  
 dus tradi non potuisset: quo facto conductorem nihil juris  
 amplius retinere, quam actionem ex conducto, adversus  
 locatorem, qua ne teneretur fiscus, hoc privilegio ejus es-  
 se datum, ut fructus nihilominus tribuerentur colono, secus  
 vero esse in casu, de quo contenditur, ubi conductor vacu-  
 am possessionem non cesit emtori, sed adhuc in posses-  
 sione est, nec emtorem admittere vult. Verum contrarium  
 docet ipsa textus inspectio. Nam adhuc post emtoris in-  
 ductionem in possessionem vacuam, cui detentio nuda con-  
 ductoris nullum jus in re habentis non officit, *sub colono*  
*erant prædia*, isque adeo adhuc in eorum possessione. Imo  
 ipse casus specialis, qui Papiniani & Messii consultationi de-  
 derat occasionem, planè non quadrabat ad privilegium fisci,  
 fructus ejus conductori etiam post prædium tertio venditum  
 & traditum tribuens. Procurator Cæsaris *tamen pronunci-  
 avit secundum illorum opinionem*, quibus placuerat fructus  
 emtoris esse, non quod Papiniani & Messii doctrinam im-  
 probaret, sed quod quidem Domino colerentur *prædia*, hoc  
 est, quod colonus non fundum pro pensione conduxisset,  
 ut fructus sibi colligeret, sed suas operas pro mercede locas-  
 set, ut fundum in utilitatem Domini coleret. Apparet i-  
 gitur, dictos ICtos ad singularem facti speciem, quæ ibi  
 contigerat, nequidem respexisse, sed explicasse privilegium  
 fisco competens, quotiescumque rem alteri locatam vendit,  
 quemadmodum nec hereditate vendita creditoribus heredi-  
 tariis tenetur. *I. i. C. d. hered. vel. aet. vend.* Denique si  
 conductor invito emtore usum prædii jure posset retinere,  
 negui-

nequidem ex conducto adversus emtorem haberet actionem,  
ut statim ostendam.

§. XIV. Non dubito firmissimum inde pro jure expellendi argumentum duci. Clamat leges vid. l. 59. §. 1. ff. d.  
Uſuf. l. 25. §. 1. l. 32. ff. locat. l. 120. §. 2. ff. de legat. 1. l. 9.  
C. de locat. ipſique diſſentientes docent, conductorem ab  
emtore expulſum eo nomine conducti actione à locatore in-  
tereffe conſequi. Atqui nullo jure, hoc conductor à vendi-  
tore peteret, si novus quoque Dominus ad permittendum  
rei conductæ uſum teneretur. Hoc enim posito conductor  
aut præter neceſſitatem ſponte ceſſiſſet emtori vel non reſti-  
tiſſet, cum absque periculo jure potuſſet; aut ab eo contra  
juſ fasque vim majorem fuſſet paſſus, perinde ac latronum  
incuſu id accidiſſet. l. 34. ff. locat. Priore caſu quod ſua  
culpā ſenſiſſet, non intelligeretur damaū ſentire l. 203. ff.  
d. reg. jur. nec eo nomine uilla actione obſtrictum haberet  
locatorem; l. 13. §. 1. 41. ff. loc. poſteriorē pariter effectu  
careret hujus obligatio, quia ejus intuitu viſ emtoris inju-  
ſta, per quam conductori re conducta frui non licet, ca-  
ſu eſſet fortuitus, quo ad ſolam remiſionem futurae mer-  
cedis obſtringeretur, l. 33. l. 35. pr. ff. cod. quam prædio ven-  
dito nequidem poſtulabit. Sed aliter lex ſcripta eſt, vultque  
à venditore praſtari, quanti conductoris ab emtore expulſi  
interēſt, in quo etiam lucrum ejus continentur. l. 33. ff. locat.  
Unde conſequitur, emtorem jure ſuo fuſſe uſum, &  
obid expulſionem, tanquam emtori jure permifſam impu-  
tari locatori, qui vendendo effecit, ut emtor conſequere-  
tur facultatem, qua eum facile uſurum prævidere potuit ac  
debiuit. arg. l. 9. ff. ead. cum contra ex facto illicoſto ſuc-  
ceſſor, quem bonum praſumere debebat l. 51. ff. pro Soc.  
cum ei prædiuim venderet, non magis poſſet obligari, quam

C 3

con.

conductor ex debito eorum, quos ipse absque cu*p*a in eli-gendo admissa in prædium induxit. l. 11. pr. ff. loc. Quod & inde firmatur, quod locator paciscendo, ut apud emto-rem quoque conductori prædio frui liceat, ab actione con-ducti liberetur. l. 25. §. 1. ff. locat.

§. XV. Deficiente vero ejusmodi p*actio*n*e*, iniquus fo-ret conductor, si emtorem invitum adstringere cuperet ad patiendum usum à venditore sibi concessum conventione, qua nec ipse amplius tenetir. Locatio conductio est con-tractus bilateralis non inferioris vel intermedii generis, ut ea negotia, quæ unum solum contrahentium statim & p*rac*-cipu*e*, alterum tantum ex post facto & accidenti obligant, adeoque illi directam, huic non nisi contrariam actionem pariunt, l. 5. pr. §. 1. ff. d. Obl. & a*c*t. sed nobilissimi, su*a* nempe natura*l* ita comparatus, ut utrumque contrahentium ab initio æque principaliter ob*string*at, & ultrò citrōque actionem utrinque directam producat. pr. J. d. Locat. Re-ciproca ergo debet esse obligatio, tam quæ ex locatione quam quæ ex conductione oritur, a. l. 1. ff. d. Rescind vend. junct. pr. J. & l. 2. ff. loc. nec alteruter ægrè ferre, si alter eo-dem, quo ipse, jure frui cupiat. l. 1. ff. quod quisque Jur. in alt. stat. Atqui venditò prædiò locatò, etiam si emtor conductionem continuari maluerit, conductori exceedere li-cet, si usu rei conducta carere malit, quam porro pensio-nes solvere, ad exemplum fundi legati. l. 32. ff. locat. Par itaque libertas à vinculo conventionis inter venditorem & conductorē initæ vicissim emtori competere debet, si pensio-nibus carere malit, quam usum rei su*a* porrò alii conce-dere: eritque justius, limites obligationis ex re inter alios acta in emtorem non transcurrunt conductorē, cui inde lu-crū habere licet, vicissim & damno afficere, quam emto-ri no-

ri nocere, at prodesse non posse, cum secundum naturam sit, commoda qualitatis personalis obligationum contrahentes non transgredientium eosdem sequi, quos sequuntur incommoda. l. 10. f. d. reg. iur.

§. XVI. Denique hac ratione simplicissimè & planissimè finiuntur omnes controversiae ex collisione locationis & ventionis resultantes. Conductor aut spontè cedet necessitati, aut usum prædii emtori relinquere absque ambagibus à judice compelletur; atque sic juri posteriori ex ematione quæsito brevissimè satisfiet, emtorque neque cum venditore radioſa liti implicabitur, neque cum conductore: hic viceſim una conducti actione, quanti ejus interest, a locatore consequetur. Conrrà admissi dissentientium opinione vinculum juris inter locatorem & conductorem contractum nec totum cessabit in emtore, utpote ad patiendum usum prædii ulteriorem obligato, nec totum in eum transbit, cum conductor nec ipſi obſtrictus sit, ut §. præc. ostensum, nec ullam aduersus eum actionem ad reliquas praſtationes, quibus una eademque obligatio ex locatione componitur, habiturus sit, sed tantum exceptionem. D. Zoll. *Dissert.* §. 12. & 16. *defens. nov. sent.* §. 9. Itaque nec succedet emtor in integrum venditoris contractum, nec ab eo omnino liber erit. Emtor enim usu rei ſuſ tantisper carebit, ideoque actione emti indemnitatē postulabit à venditore, arg. l. 1. §. 1. ff. d. act. emt. qui ea ptaſtitā portionem repetet conditione ſine cauſa, l. 1. §. 2. & 3. ff. d. condit. ſin. cauſ. ſi poſteā conductorem vel mutate confilio prædio excedere, vel incerto herede mori, l. 15. §. ult. ff. locat. vel ab ſupervenientem cauſam expelli contigerit, l. 3. C. eod. Imò etiam cum usum rei pro mercede conventa conductori relinquere non gravabitur emtor, ad petendas pensiones non

non habebit actionem, l. 25. ff. d. oblig. & ab. sed eas venditor exiget actione locati, l. 13. §. 11. ff. d. Ab. emt. emtori adversus ipsum ex emto acturo viciissim restituendas. l. ult. ff. d. jure ffc. l. 58. pr. ff. d. usufi. Si quæ alia ex natura contractus aut lege conductionis praestanda fuerint conductori, veluti januæ fenestræ nimium corruptæ restituendæ l. 15. §. 1. l. 25. §. 2. ff. loc. locator à conductore conveniens erit, non emtor, quem viciissim actione venditi conveniet venditor, l. pen. C. d. ab. emt. lite difficulti, si vel dubitetur, utrum utiles fuerint sumptus à venditore erogati l. 13. §. 22. ff. cod. vel emtor eas impendi prohibuerit. l. 8. §. ult. ff. l. ult. C. d. neg. gesl. l. 49. ff. mand. Ubi damnum in prædio contigerit culpâ levissimâ conductoris, hic se mediâ diligentia defunctum nec ad majorēm obligatum putabit, l. 23. ff. d. Reg. jur. emtor se eum non elegisse, sed in ipsum incidisse, eumque sibi oneri esse non lucro dicet, adeoque illum lege Aquilia teneri contendet, l. 44 pr. ff. ad leg. Aquil. ex quâ si condemnari debuerit, aget viciissim adversus venditorem eundemque locatorem, in cuius potestate non fuit, conditionem ipsius sine ejus facto reddere deteriorem l. 2. ff. quod viuit clam. hic denuò eum emtore contendet, ejusque periculo, non suo accidisse pugnabit, quicquid absque lata vel levi culpa contigit. §. 3. l. d. emt. Taceo difficultates, admisâ opinione Zollianâ, vid. supra §. 9. inevitabiles, si emtor animum atque occasionem habuerit, absque vi metendi, quod vendoris colonum ferere passus fuit; taceo alias tricas inter locatorem, conductorem & emtorem vix extricabiles. cum dicta jam ostendant, ex nova sententia litium hydram gigni, cui nisi collum amputetur jure expellendi emtori concesso, vix uno capite refecato, alia illico majore numero propullulabunt.

Ab

Ab hoc vero malo abhorret justitia, amicissimam habens simplicitatem, legislatorix prudentia adeo congruam, ut rectius jus certum & planum constituat, quam juri naturali & gentium intotum serviat. l. 6. pr. ff. d. Just. & jur. Convenit igitur non fucatae lCtorum philosophia id agere, ut & extinguantur somites plurium litium inter eosdem, l. 6. ff. d. exc. rei judic. & obviam eatur earum multiplicationi inter plures, quam jura aversantur. l. 2. ff. d. exercit. act. Atqui probatà nova opinione non modo hanc Charybdis nunquam evitabimus, sed & in illam Scyllam incidemus. Consequitur ergò, etiamsi dissentientes àque probabilibus argumentis niterentur, quam communis schola, tamen etiam in dubio receptam sententiam, tanquam publicè utiliorem, sequendam fore ad. l. 20. §. 2. ff. de servit. præd. Urbanus l. 6. in fin. ff. mand.

§. XVII. Allegat à quoque à communis sententia patro-  
nis fuerunt alia probationes, imprimis 1) conditionem  
sine causa negari non posse emtori adversus conductorem,  
utpote soluto contractu, 2) altum esse Caji in l. 25. §. 1.  
ff. locat. ubi conductori ab emtore expulso actionem con-  
ducti adversus locatorem ad indemnitatem consequendam  
tribuit, de aliis remedias silentum, 3) par jus expellendi le-  
gatario nominatum tribui in l. 32. ff. cod. 4) cum eadem  
etiam l. 24. §. ult. ff. cod. consentire, & adhuc clarius de con-  
ductore de reliquo tempore certante, adeoque jam in usu  
prædii constituto loqui, 5) potestatem expellendi ipsi et-  
iam creditori, pignoris venditori, adversus conductorem,  
etiamsi is ipse dominus fuisset, in l. 22. §. 3 ff. de pignorat.  
act. concedi 6) durationem conductionis post venditionem  
à judice factam in l. 8. §. 1. ff. d. reb. aut. Jud. possid. specia-  
liter tradi, tanquam exceptionem à regula, quæ inde con-

D

fir-

firmetur: & quæ sunt alia ejusmodi argumenta, fortè nimio causæ infirmum defensionum non indigentis, studio exco-  
gitata.

§. XIII. Verum 1) nec dominum rem suam condicere, nisi furi, l. ult. in fin. ff. de usufr. quemad. cav. nec venditio-  
ne contractum inter conductorem & locatorem, utpote &  
post alienationem ad præstandum interesse obligatum l. 32.  
ff. loc. l. 9. C. cod. solvi, nec 2) unius remedii positione alia  
qualiacunque excludi recte regesserunt dissentientes, quem-  
admodum nemo dixerit, interdictum de precario creditori  
adversus debitorem, pignoris precarii rogati possessionem  
restituere recusantem, ab Ulpiano l. 6. §. ult. ff. d. Precar.  
assertum. eidem in l. 22. §. 3. ff. d. pignerat. ad. ab eodem  
JCTo negari, quod ibi nullæ ejus mentione factâ actionem  
pigneratitudinem contrariam tribuat. 3) Licet dissententes ad  
conductorem in usu prædii nondum constitutum absque  
fundamento restringant legem 32. ff loc. 3 tamen textus ille  
de colono loquitur, qui fundum colendum conduxerat, ad-  
eoque non de conductore fruendi, einem Psachter /  
qui solutâ certâ pensione fructus acquirit, l. ult. ff. d. jur. sc.  
sed de conductore faciendi, qui acceptâ certa mercede luas  
operas locat, ut domini siant fructus mediante cultura pro-  
venientes, einem Geissel Hoffmann / l. 22. §. 2. ff. loc. de  
quo nec in dit. l. 32. dubitabatur, utrum à mercede solven-  
da liber esset, sed an cogi posset, ut fundum coleret: id ve-  
ro ad hanc questionem non pertinet. vid. supra §. 1. nec  
4) ad eam facit l. 24. §. ult. ff. cod. ut quæ non singularis suc-  
cessoris, colonum justè, sed heredis, eundem injuste expel-  
lentis, §. ult. J. l. 19. §. 8. ff. cod. meminit. Nec 5) in l. 22. §. 3.  
describitur effectus dominii emtione acquisiti, sed contra-  
clus pigneratiti actione pigneratitudinâ contraria persequen-  
dus

dus, quam emtori nemo tribuerit: neque agitur de expul-  
sione durante tempore locationis, sed hoc finitum esse sup-  
ponitur, quia creditor pignus nec ultra tempus, ad quod  
debitum erat contraclum, locare, nec ante lapsum termini  
solutionis distrahere potuit. *l. 7. C. d. distra& pign. l. 2. C. si-  
vend. pign. agat.* 6) Verius est in *l. 8. §. 1. ff. a. reb. aut& ju-  
dic. possid.* jus singulare non contineri, sed meram juris ge-  
neralis applicationem, quod recte monuit D. Zoll. *defens.  
nov. sent. §. 8. in fin.* quamvis hoc argumentum adversus  
emtorem inverti nequeat; agitur enim ibi de creditore in  
possessionem bonorum debitoris latitantis missio, nec eo-  
rum dominium consecuto, sed administrationem *l. 9. §. 6. ff.  
cod. Hert. d. paroem. jur. German. l. 1. paroem. 46. §. 3.* qua-  
re minorem illi, quam novo domino potestatem tribui  
neque mirum est, neque emtori aut prodeesse aut nocere  
potest. Quod verò hodiè etiam prædiis sub hasta venditis  
locations cum debitore contractæ passim serventur,  
*Carpz. part. 2. Conf. 37. def. 4. num. 6.* Beyer *ad ff. tit. loc.  
posit. 20. not. e.* Ex praxi est, nec juri Romano de cuius sen-  
tentia queritur, convenit; immo magis illi congruit, præ-  
dio urgente necessitate axis alieni vendito nequidem inter-  
esse conductori deberi. arg. *l. 3. C. d. loc. junct. l. 5. §. 9 ff. d.  
reb. cor. qui sub tutel. l. 33. ff. locat.* Hert. *dict. paroem. 46.  
§. 2. Mev. part. 2. decis. 88. & 344.* Quare contrarii mores  
nec juris analogia, nec aequitate nituntur, sive conducto-  
rem ex ulteriore duratione locationis lucrum captantem  
*d. l. 33.* cum locatore necessitate sua alienandi prezzo com-  
pares, sive cum aliis creditoribus, qui licet tantum de da-  
mino vitando laborent in negotiis, ex quibus nihil unquam  
lucri sperare potuerunt; & chirographarios nudos, qualis  
est conductor, vel alios privilegiatos præcedant, tamen su-

um amittere coguntur, si alii magis privilegiati tantum auferant, ut massa residua sequentibus non sufficiat: *l. 24. §. 2.*  
*ff. d. reb. auct. Jud. possid. l. 1. C. si propt. public. penfit. l. 12.*  
*C. qui pot. in pign. facilè tamen regulis prudentiæ ipsorum-*  
*que creditorum utilitate defendi posse videntur. Ortâ enim*  
*lite concursus, lentâ plerumque ac difficiili, totius massæ ut*  
*plurimum interest, aut fieri aut continuari locationes præ-*  
*diorum; l. 9. §. 6. ff. d. reb. auct. Jud. possid. quæ, immi-*  
*nente quotidie expulsione vix inventirent conductorem, imò*  
*vix absque difficultate, novâque controversiâ, retinerent.*  
*Quid enim, si mercedem pretio emtionis simillimam, pr.*  
*l. d. loc. l. 2. ff. eod. antequam ipsi de contractu integro ser-*  
*vando cautum fuerit, porro solvere detrectet, ad exem-*  
*plum emtoris cui evictio imminet? l. 24. C. d. Evid. Quid si*  
*fundus deterioretur, opus sit impensis in plures annos?*  
*quos vix erogabit, qui nec usum sibi eousque concessum,*  
*nec indemnitatem præstitum iri confidit. conf. l. 9. §. 1: ff.*  
*loc. Prastat igitur his, aliisque ejusmodi rationibus, acrius*  
*examen haud ferentibus abstinere, quam fortè causam*  
*imbecilliter defendere.*

§. XIX. Supersunt argumenta, quibus novæ sententiæ  
 auctores conductorem prædii excedere nolentem adversus  
 emtorem tueri student. Provocant potissimum ad illa tra-  
 titia, neminem posse plus juris in alterum transfeire, quam  
 ipse habet, *l. 54. ff. d. reg. jur.* nec aliquem melioris con-  
 ditionis esse debere, quam autor ejus, à quo jus in ipsum  
 transit *l. 175. ff. eod.* ideoque absurdum esse, plus juris ha-  
 bere eum cui legatus sit fundus, quam heredem aut ipsum  
 testatorem, si viveret. *l. 100. §. 2. ff. eod.* & qui in jus Do-  
 miniumve alterius succedit, jure ejus uti debere, *l. 177. ff.*  
*cod.* cùmque sit alienatio, cum caula sua transferri Domi-  
 ni-

nium, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset l. 76.  
 ff. d. contrah. emt. Sed regulas has non esse universales, satis  
 ostendit cum l. 156. 9. 3. ff. d. reg. jur. quæ emtoris plerum-  
 que eandem esse debere causam dicit, quæ fuit auctoris,  
 tūm exemplum conditionis usucapiendi, quam traditā pos-  
 sessione, ceteris paribus, acquirit successor, licet eam auctor  
 non habuit. l. 5. pr. ff. d. divers. tempor. prescript. itaque per-  
 dunt officium, si extendantur ultra justas limitationes. Vi-  
 dendum igitur, quoque valeant in translatione dominii  
 in emtorem, nec ne. Dominium vel 1) in se quoad natu-  
 ram suam genericam, qua res aliqua nostra propria est, con-  
 sideratur, vel secundum qualitates accessorias dominio vel  
 activè vel passivè accedentes, quarum alia 2) specificæ sunt,  
 secundum quas ejus species variatur, alia quasi individuales,  
 hæque iterum vel 3) internæ ac reales, quæ ipsum dominii  
 tanquam propria, vel 4) externæ & personales, quæ tan-  
 tum facultatem domini personam exercendi effectus domi-  
 nii tanquam mera accidentia afficiunt. De dominio 1) in  
 se, ejusque qualitatibus accessoriis 2) specificis, ac 3) pro-  
 prietatibus internis sive realibus valent illæ regulæ, coque  
 pertinet doctrina Ulpiani in l. 20. pr. ff. d. acquir. rer. Do-  
 min. Traditio, inquit, nihil, amplius transferre debet vel  
 potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui tradit.  
 Unde est, quod 1) de ipso Dominio quoad essentiam suam  
 genericam statim subjungat. Si igitur quis Dominium in fun-  
 do habuit, id tradendo transfert: si non habuit, ad eum qui  
 accipit, nihil transfert. 2) Prout Dominium apud aucto-  
 rem fuit quoad qualitares sive essentiam specificam, ita il-  
 lud accipit successor, plenum scilicet vel minus plenum, re-  
 vocabile vel irrevocabile &c adeoque directum vel utile abs-  
 que parte quam aliis habet, temporarium non nisi ad tem-  
 pus

pus, ad quod auctor habuisset; unde resoluto jure dantis  
 resolvitur jus accipientis. arg. l. 31. ff. d. pignor. 3) Ipsum  
 dominium juribus in re, rei inherētibus, tanquam propri-  
 etatibus internis afficitur, & modo extenditur modo restrin-  
 gitur, ac de his iterum veræ sunt dictæ regulæ, isque sensus  
 est Pomponii in l. 67. ff. d. contr. emt. his enim proprietati-  
 bus internis constat causa domiñi. De utrisque qualitatib-  
 us & essentialibus & proprietatibus internis loquitur Ulpianus,  
 quando dicit l. 20. §. 1. pergit. *Quoties autem domi-  
 niū transfertur, ad eum qui accipit tale transfertur, quale  
 fuit apud eum qui tradit.* De postremis subjungit exempla.  
 Itaque dominium rei creditorī oppignoratae cum onere, l.  
 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel. hypoth. Usufructuarie salvo  
 usufructu, l. 66. ff. de contrah. emt. servientis vel dominan-  
 tis una cum servitutibus sive activis sive passivis transit. dict.  
 l. 20. §. 1. Quæ verò 4) vel ex conditōne personarum, vel  
 ex jure tantum ad rem descendunt, jura & obligationes, tan-  
 tum circa rem versantur, nec ipsum dominium afficiunt, sed  
 solam facultatem personalem ejus effectus exercendi, quæ  
 qualitatibus istis dominii externis & inerè accidentalibus ali-  
 quando ampliatur, aliquando limitatur. Ita etas Domini  
 non mutat ipsum dominium, sed tamen personæ conditio  
 efficit ut minori immobilia alienare regulariter non liceat. l.  
 22. l. 28. §. 5. C. d. Admin. tutor. nec feudum accuratè di-  
 viditur in ligium & non ligium, attamen diversitas persona-  
 lis vasallorum efficit, ut qui dominum antiquorem non ha-  
 bet, ligius sit, qui habet non ligius, adeoque ille contra quem-  
 cunque servire debeat, hic contra priorem non teneatur,  
 Struv. Synt. jur. feud. c. 3. th. 9. num. 2. Pariter obligatio ex  
 contractu ad transferendum dominium sive totum sive ejus  
 partem, veluti feudum, emphyteusia, jus superficiarum, tra-

tradendum vel constituendum pignus, concedendum usumfructum vel servitutem constituendam, neque rem ipsam, neque dominium afficit, sed tantum dominium circa rem obstringit, adeoque facultatem ejus personalem coarctat, & creditori actionem personalem adversus debitorem tribuit. *l. 20. C. d. pac*. l. 3. ff. d. oblig. & a*.** De hisce regul*æ*, quas objiciunt dissentientes, plan*æ* negand*æ* sunt, & constituenda contraria: qualitates dominii externas & merè accidentales in emtorem non transire, neque activ*æ* neque passiv*æ*. Idque est, quod Ulpianus docet, personalem actionem fundum non sequi, *l. 1. §. 6. ff. ad S*t.* Treb.* nequidem si venditioni additum fuerit, quo jure quacunque conditio*ne ea prædia hodi*æ* sunt, ita veneunt itaque habebuntur, uti responsum apud Scovolam l. ult. §. 1. ff. de contrah. emt.* Ita nec à venditore majorenne in emtorem minorenem transfertur libera facultas alienandi prædium, nec ejus restrictio à venditore viginti quinque annis in emtorem majorrem. Vendito feudo parit qualitas vendoris ligii in emtore dominum antiquorem habente, non ligii in non habente *l. f. 99. & 28. in fin.* Emotor tempore priori, vel ei cui promissum feudum, emphiteusis aut superficies, tenetur promittens, non ejus emtor posterior, cui priori facta traditio *l. 15. C. d. Rei vind.* non magis quam legatorius. *l. 22. ff. locat.* contra emtor rem à se ante*æ* venditam & traditam vel in feudum &c. promissam vindicare nequit à suo emtore vel promissario, à quo illam recte vindicasset ejus vendor. *l. 17. ff. de Evi*. l. 1. ff. de Except. rei vend. & trad.** Obligatio pignoris constituendi venditori incumbens ad rei oppignerand*æ* emtorem non pertinet, Qui usumfructum promisit, ad illum præstandum obligatur, non ejus emtor. Qui servitutem realem stipulatus est vel promisit, vel agere potest*

poteſt vel compelli ad ejus conſtitutionem, quam neque poteſteſt emtor, neque pati tenetur. Atqui jū ſuſtendire conductor, & quæ illi reſpondeſt, obligatio locatoris ad uſum illū præſtandum & que merum jū ad rena eſt, quo reſ ipsa ejusque dominium internè non afficitur, ſed ſola facultas personalis exercendi ejus effectus. Itaque ut qualitas tantum extēra & merē accidentalis Domini non tranſit in emtorem ſed penes venditorem remanet, præſtando id quod intereſt, explenda: modò tamen emtor tantum quā novus Dominus agat, non etiam qua prioris ſuccelfor, quo caſu ei etiam extēra dominii qualitates & que ac antecelfori nocent. vid. ſupr. ſ. 7.

ſ. XX. Amplius objicitur, rem inter alios a ceteris tertio non præjudicare, l. 63. ff. de re iudic. & t. tit. C. int. al. aſt. vel jud. al. non noc. nec in aliena potestate eſſe, conditionem meam nihil delinquentis reddere dertiorem, l. 2. ff. quod vi aut clam. neminemque mutare consilium ſuum in alterius injuriā, l. 75. ff. d. reg. Jur. nec id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad aliū transferri poſſe: l. 11. ff. eod. unde concluditur, nec locatorē, prædiū nondum finita locatione vendendo conductori nocere, aut uſum furdi, quem iſte habet, in emtorem tranſerre potuiſſe. Rechte ſine dubio hæc omnia urguntur, quoties locator penitentiā ductus ipſe prædiō uti, aut id tertio locare mavult, quam contractum ſemel initum ſervare: l. 15. l. 21. C. d. locat. immo etiam, quatenus ipſe, facta renditione ad præſtandam indemnitatē compellitur, quam nihilominus debet l. 9. C. eod. Sed adverſus emtorem nihil inde conficitur, quia locatio tantum facultatem locatoris personalem limitat, eſt que qualitas domini merē accidentalis & extēra, quam in novum dominum non tranſire modò probavi. Hic ergo  
ut-

utetur jure suo, conductor vero hanc calamitatem, nisi quâ à venditore resarcietur, æquo amino feret, que s' admodum sententiam pro vetere domino prædium evincente pronunciata, quæ licet æque ac contractus jus tantum inter partes facere, tertio verò neque nocere neque prodesse debeat l. 63. ff. d. re judic.; tamen per consequentiam in conductoris quoque commodum vel damnum redundat l. 9. pr. ff. loc. add. l. 22. C. cod. Rectius igitur hoc argumentum invertitur, negaturque contractum inter venditorem & conductorem initum, tanquam rem inter alias actam, emtori obstat, quo minus ipsi potius re suâ uti, quam eam alteri, cui nihil promisit, fruendum concedere liceat, quemadmodum alii domino permittitur.

I. XXI. Adhuc levius est, quod opponitur emtorem nequidem dominum prædii fieri posse invito conductore, quod contractu non transferatur dominium, sed traditione rei vacua, l. 2. §. 1. ff. d. act. emt. l. 8. C. cod. vacua verò possessio non sit, nisi ab omni alterius non modò propriè dictâ possessione, sed & quâlibet nudâ detentione, v. gr. commodatarii, depositarii, &c. libera. Nam omnino vacua sit possessio, quoties à vero possesso dimittitur, qui hic est ipse venditor, cum conductor veram possessionem plane non habeat, sed tantum in possessione sit. l. 18. pr. l. 30. §. 6. l. 37. ff. d. acquir. vel amitt. possess. id quod translationem dominii adeo non impedit, ut potius eandem operetur, quoties venditor rem venditam ipse ab emtore conduxit, quam primum eam, tanquam conductam tenere incipit, quâ traditione brevis manus factâ, nullâ aliâ opus est l. 77. ff. d. rei vindic. l. 18. pr. ff. de acquir. vel amitt. possess. imò nequidem propriè dictâ possessio tertii, alio quâ domini animo possidentis, ut creditoris pignus habentis, obstat, quo minus res,

E

tan-

tanquam vacua ab alterius possessione, tradatur ad effectum transferendi dominii; quamvis ad hoc, ut venditor sux obligationi satisfaciat, amplius requiratur, possessionem ita vacuam tradi, ut nemo in lite de possessione sit superior. l. 11. §. 13. ff. d. act. emt. non poterit igitur impeditre conductor, quo minus traditio, prasertim longæ manus vel symbolica fiat, & per eam emtori dominium acquiratur: §. 44. J. de Rer. divis. l. 1. C. d. donat. nisi forte, antequam emtori ullia traditio, vel oculis ex longinquo, l. 18. §. 2. ff. a. acq. vel am. possit. fuerit facta, ipse sibi contra jus causam possessionis mutet, se ipsum ex detentore verum possessorem efficere audeat, eoque prado fiat, facile à judice in ordinem redigendus, quem nemo dubitat verè possidere, l. 47. ff. cod. eoque impeditre; quo minus locator emtori possessionem vacuam tradere queat.

§. XXII. De tali casu agit Marcellus l. 12. ff. de Vi & Vi arm. ex qua novæ sententia propugnatores probare tentant, conductorem locatori, quo minus emtori prædium tradat, resistere posse, & aduersus ipsum ex interdicto restitui, si à locatore fortiore fuerit expulsus. frustra utrumque. Primo enim tantum abest, ut ibi colono potestas resistendi tribuitur, ut potius cum non admisisset emtorem à locatore in possessionem missum, interdicto locatori obstrictus dicatur, quem dejecisse tune videretur, cum emtori possessionem non tradidit, quod nihil interesset, dominum ingredi volentem prohibuisset, an emtorem cui jussisset dominus tradi possessionem, non admisisset. Stat ergo regula conductorem admittere teneri emtorem, volente Venditore, alias dominum dejicere: cui quidem in fine additur exceptio, nisi forte propter iustam & probabilem causam id fecisset, sed id non juvat adversarios, cum ex numero justarum causarum non sit cupo

rido continuandi conductionem in præjudicium emtoris ad eandem non obligati. Saltem in *dict. leg.* hoc non tradidit, neque etiam credere potuit JCtus, qui alias regulam potius pro jure resistendi emtori formare debuisset, subiunctâ exceptione, nisi finitum fuerit tempus contractus, quandoquidem facilius contingit, ut conductor in prædio sit eoque excedere nolit durante eo tempore quam finito. Secundò interdictum ibi colono adversus ipsum locatorem dari, commentum est Dionysii Gothofredi textum mutare cupientis, ipsa lex colonum, cum emtorem in possessionem non admisisset, deinde ab alio vi dejectum, ideoque ei interdictum unde vi competitorum dicit quia scilicet colonus non admittendo emtorem à locatorè in suum prædo factus erat, adeoque actionem ex interdicto habebat adversus dejiciendum, l. 1. §. 30. l. 14 ff. *d. Vi & Vi arm.* maximè cum non ab eo possideret vitiosè sed ab alio. §. 4. J. d. *Interdict. l. ult f. d.* acquir. vel amitt. possit.

*§. XXIII.* Similis omnino in l. 18 ff. *de Vi & Vi arm.* (ad quam pariter irrito conatu provocant dissentientes) causus est, quem eodem modo decidit Papinianus nisi quod colonus emtorem à venditore missum non admittens postea hic ab ipso emtore, non, ut ibi, à quarto vi fuerit expulsus. Quare hic quoque textus adversus eos ipsos militat, à quibus in auxilium vocatur. Ait JCtorum coryphaeus, emtorem à venditore in vacuam possessionem ire jussum, colonum intrare prohibentem interdicto teneri vendori eidemque locatori, hunc non ante videri possessionem omisissi, quam si tradita fuisset emtori, denique à colono intrare prohibente vi fundum esse possessionem, possessione non emtori, sed locatori ablata. Agnoscit igitur, detentionem conductoris non officere, quo minus fundus à possessione cuius-

vis tertii sit vacuus, possessionem fuisse apud locatorem, etiam postquam emtorem in eam misisset, donec traderetur, eandem venditori, non admittendo emtorem, vi ablatam, coque factio colonum venditori interdicto teneri, tanquam prædonem: qua omnia manifestissimè evertunt dissentientium opiniones. Putant tamen, suam causam inde juvari, quod Papinianus emtorem, qui postea vim adhibuit, & ipsum interdicto colono teneri dicat, etiamsi voluntate venditoris colonum postea vi expulisset, sed nihil proficiunt. Cum enim colonus prædo factus verè possidere coepisset, habuit omnino interdictum. l. 1. §. 30. l. 14. ff. d. Vi & vii. arm. maximè contra emtorem dejicentem tanquam tertium, cui possessionem non abstulerat, sed venditori, non obstante vitio, quo, hujus intuitu non illius, affecta erat possessio. Quod verò hic nequidem mandato venditoris juvaretur, inde erat quod mandatum esset illicitum, ut ipse IC-tus urget, adeoque nullum §. 7. l. 1. 8. §. 3. ff. Mand. l. 123. ff. d. Verb. obl. Venditor enim colonum postea vi expulerat, non statim, cùm hic intrare prohibeo per vim possessionem auferret; idque venditor neque ab initio mandaverat, sed ut in *vacuum* possessionem ieretur, nec postea licetè mandare poterat, cùm vis vi justè quidem repellatur in continentia non vero ex intervallo. l. 8. §. 9. l. 17. ff. d. Vi & vii. armat.

¶ XXIV. Deuique varia proferuntur ab æquitate, nescio quā, petita, magisque ad favorem conductori conciliandum, quam eum ex analogia juris defendendum idonea, veluti 1) fidem datam ipsi servandam, l. 1. pr. ff. de pæct. l. 1. pr. ff. d. pecun. constit. 2) jus gentium pro eo militare; 3) ini-  
quum esse conductori juris imperito neglectum cautelarum, n. aximè quarum controversa sit necessitas, imputari; imo  
4)

4) stante sententiâ communi fore, ut nunquam lecure contrahere possit, sed non modo pignus quoque præstito intellesse liberatum, l. 6. pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solvo. verum etiam locatione conductione per venditionem finitâ vinculum ejus tanquam accessorium solutum, l. 178. ff. d. reg. jur. c. 42. cod. in 6to. adeoque nequidem interesse debitum iri, & quæ sunt alia, quibus id agitur, ut adversa sententia tanquam aequissima commendetur. Verum 1) fidem servare locatoris est, ideo ad eam, ubi conventionem ad literam implere non amplius potest, saltem præstatione ejus, quod conductoris interest; exsolvere obstricti, l. 38. ff. loc. l. 71. § 3. ff. d. legat. 1. non emtoris qui nihil promisit. 2) adhuc sub judice lis est, utrum jus gentium, de quo hic non disputo, distinctionem juris in re & ad rem, ac diversos utriusque effectus respuat? Quo positô sequetur, ejus conclusiones hactenus fructra urgeri in foris aliò jure utentibus l. 6. pr. ff. de just. & jur. l. 31. pr. ff. depos. Ephaim Gerhard. d. regul. jur. German. Rauff gehet vor Niethen c. 2. §. 11. seq. 3) excusatio negligentia in achibendis cautionibus, etiam si ficeret ad conservandum jus, quod conductor habuit, non poterit illi tribuere jus in re adversus tertium valitum; quod ipsis nunquam delatum, nedum aequistitum fuit. l. 29. ff. ex quib. cauf. maj. l. un. C. de reput. quæ siunt in jud. in integr. ref. 4) nec prædicti locati venditio ipsum contractum inter eos, à quibus sicut initus, perimit, sed tantum occasionem consequendi, ut accuratius, quam præstito eo, quod interest præcisâ concessione ipsius usûs conventi adimpleatur; arg. l. 9. §. 1. ff. loc. junct. l. 8. ff. de condic. furt. salvæque adeò sunt cautela legitimæ, quibus conductor jus in re adversus quemvis successorem ad totum contractum servandum arg. l. 2. §. 1. ff. d. reb. cred. validum, acqui-

rere potest. l. 67. ff. d. contr. emt. add. *suprà §. 19.* Hisce  
 igitur non im morabor, ac cetera similia per se ruitura puto.  
 si ostendero, meam sententiam & æquitati pressius conveni-  
 re & ipsis quoque conductoribus melius consulere, quam  
 ad versam. In eo omnes consentiunt, conductorum emtori  
 planè non obligari, vid. *suprà §. 15.* sed prædio liberè exce-  
 dere, si placuerit. Porro vero secundum D. Zollium em-  
 tor, ut conductor (quamvis infirmius jus ad rem habeat,  
 quām emtori competit in ipso prædio, quod alter nequi-  
 dem posidet, sed tantum detinet) volens usum, quem ha-  
 bet prædiū continuet, donec ipsi fuerit satisfactum, pati tene-  
 bitur, ad reliqua, quā illi ex eadē locatione conductione  
 debentur, minime obstrictas: unde ulro citroque diverse  
 lites nascentur, tam inter venditorem & conductorē, quam  
 emtorem & venditorem, itemque emtorem & conductorē.  
 vid. *suprà §. 16.* Quod si vero conductori vel à venditore vel  
 ab emtore præstatum aut oblatum fuerit interesse, ab emto-  
 re expelli poterit (id enim tandem ipse D. Zollius concessit,  
 defens. nov. sentent. §. 16. pag. 204. & §. 19. pag. 212.) nec ullo  
 discrimine habebitur, sive solain fidem locatoris securus fue-  
 rit secutus, sive solertissimus sibi cautissime prospexerit,  
 ipsamque rem locatam fecerit obnoxiam. Itaque variis li-  
 tibus omnes implicabuntur, & solum tardum processus ad-  
 versus locatorē ad interesse consequendum instituēndi æque  
 vitabit, omne vero commodum ipsius usus rei ad fruen-  
 dum conducta, ac ceteratum præstationum à locatorē pro-  
 missarum æque pendet & negligentissimus & diligentissimus  
 conductor. Secundum mea tradita emtor æque ac con-  
 ductor ab omni mutua obligatione liber est, in ceteris vero  
 jura vigilantibus scripta l. 24. ff. que in fraud. creditur aliud  
 de cauto conductorē constituunt, aliud de incauto. Dormi-  
 tan-

tantem vero domino, predium & verè possidenti ex quo conductorem in pari causâ vincenti, l. 128 ff. a. reg. jur. & jure potentiore alibique difficilius iterum querendo tenenti, atque ex privatione usus rei propriæ majus incommodum, majusque periculum sentienti cedere statim jubent, attamen ei ad interesse obstringunt venditorem à quo tantundem consequetur, quantum ex adversa opinione: nisi quod adversus tergiversantem opus habet probatione ejus quod interest, unâque acti ne reliquas omnes controversias absorbente; quâ institutâ judex ipsi citra ambages succurret, si liquidum sit, quod & quanti ejus intersit, potius ulteriorem prædii usum, quam liberationem à futuris pensionibus habuisse; quæ si illiquidam sint, vereor ne admissâ doctrinâ adversariorum futurum sit, ut nihilominus præstâta cautione facile expellatur, arg. l. 34.

**§. 1. in fin. ff. de statu lib.** Add. Mev. part. 2. dec. 15. tadi-  
o que processus æque implicantur, atque ex communi senten-  
tiâ vigilanti plenam præstant securitatem totius contractus,  
non modo quoad durationem verum etiam quoad reliquias  
præstationes à locatore promissas. Quod, sane æquius, ipsi-  
que conductoribus confultius, nisi le ipsi per negligentiam  
periculo exponant, quod sibi imputare debebunt. arg. l. a  
**§. 1. ff. loc.** Quare non conquerram anxiè, quâ forte preter-  
missa sunt.

**§. XXV.** Potuissent etiam addi juris hujus expellendi,  
utpote cuivis successori singulari competentis, vicissimque  
ali quando exceptionem patientis, ampliations & limitati-  
ones. Sed jam dicta sufficere videntur specimen inaugura-  
li, cugus gratia hoc scripsi. Itaque contentus probavisse at-  
que à dubiis objectis liberavisse regulam, finio, supremo

Numini pro præstito auxilio gratias humillimas  
persolvens,

**COROL.**

# COROLLARIA.

I.

*Non datur Ius Gentium à Jure naturæ diversum.*

II.

*Jus naturæ est immutabile.*

III.

*Fur & Prædo Actionem commodati rei furtive habent.*

III.

*Fur rupto laqueo virus furca decidens secundum rigorem legum denudu suspendendus est.*

V.

*Vi stuprato coronam Virginitatis gestare licet.*

VI.

*Virginis stupratorem Violentum pudicitiae defendendæ causa, (in defecu alius auxiliū) occidere licet.*

VII.

*Patrum, quo sponsus sponsæ dominium maritale præmisit, non est obligatorium.*

VIII.

*Tan Judicis quam Advocati est in causa dubia partibus in quacunque Iudicij parte transactionem suadere.*

## ERRATA POTIORA

pag. 3, linea 16, lege Roncaliensis, p. 4, lin. 20, leg. consuetudini, p. 6, l. 20, l. emtionem, p. 8, l. 5, l. nominis, d. p. 8, l. 12, l. fundamenta, p. 12, l. 20, l. sequi, p. 13, l. 10, post verbum ubi deleatur p. 15, l. 3, l. legatarium, p. 16, l. 7, l. 32, p. 17, l. 7, post vocabulum quicquid deleatur i, p. 19, l. 28, l. analogia, p. 21, l. 4, l. argumentum, d. p. l. 29, l. eod, p. 23, l. 13, l. admissa, p. 24, l. 11, l. eos, p. 29, l. 17, l. personalem, p. 31, l. 23, l. legatarius, d. p. l. 30, & 31, l. promisit.





Marburg, Diss., 1725-30

f



56.



Pr. 18. num. 59. P. A. 540.

12. DISPUTATIO JVRIDICA IN AVGURALIS,  
DE JVRE EMTORIS  
PRÆDII, EXPELLENDI  
EJVS CONDVCTO-  
REM,

1230, 22

QVAM DIVINA ANNVENTE CLEMENTIA

S V B A V S P I C I I S

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
**DN. FRIDERICI,**

HASIAE LANDGRAVII, &c. &c.

AVCTORITATE ET DECRETO

MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBVRGENSI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQUE JVRE HONORES, AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE OBTINENDI

EXCELLENTISSIMORVM ACADEMIÆ PROCERVVM  
EXAMINI PVBLICO

AD DIEM II. MENSIS MAI ANNO MDCCXXX.  
S V B M I T T I T

**JOHANNES JACOBVS DVILLIVS,**  
FISCALIS ET ADVOC. ORD. WEDANO-RONCALIENSIS.

MARBVRGI CATTORVM,

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. TYPOGR.



B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Centimetres  
Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20